

USURA.

De hac materia vide *Addit. Casin.* sub verb. *MUTUUM*, tom. V, col. 189 et seqq., et tene prout ibi.

(1. Usura dicitur *ab usu*, sicuti cultura dicitur *a cultu*: unde in hoc sensu Cicero in *Verrem* dixit: «Cur piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti?» Sicque usura in genere significat usum alicujus rei. Item usura sæpe accipitur pro incremento, seu lucro, et commodo, seu tractu ex rei usu proveniente, teste eodem Cicerone, qui l. *De senectute* sic expresse dicit: «Terra nunquam sine fructu reddit quod accipit,» ubi fructus supra semen, seu incrementum, et lucrum, quod ex semine sibi mandato reddit, usuram appellat. Ad nostrum autem propositum usura sumitur vel pro conventionione, seu contractu usurario, vel pro lucro, quod ex contractu acquiritur, quod etiam fœnus appellatur a *fetu*, quasi sit fetus, seu partus, aut genitura pecuniæ, vel alterius rei pretio æstimabilis mutuo datæ.

2. Usura capta pro conventionione, seu contractu usurario definitur, quod sit mutuatio cum pacto expresso, vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ratione mutui. Usura autem capta pro lucro, quod ex contractu usurario acquiritur, definitur, quod sit lucrum immediate ex mutuo proveniens tanquam debitum, id est incrementum, quod vi mutui intenditur, et accipitur tanquam debitum supra id, quod mutuo datum est. Sic in re doctores communiter arg. c. *Si fœneraveris* 1, c. *Putant*, 2, c. *Plerique* 3, et c. *Usura* 4, caus. 14, qu. 3.

(3. Usura dividitur primo in mentalem, et realem. Usura mentalis est, qua lucrum ex mutuo intenditur tanquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum, arg. c. *Consuluit* 10, *De usuris*. Vide infra, n. 86. Usura realis est, cum qui mutat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem lucrum ex mutuo. Sic in re communis doctorum.

(4. Secundo, dividitur usura in expressam, seu manifestam, et tacitam, seu palliatam. Usura expressa, seu manifesta, et formalis est, quando expresse, seu manifeste, et formaliter exigitur pretium pro mutuo, ut cum quis mutat centum eo expresso pacto, ut sibi reddantur centum, et quinque, et hujusmodi. Usura tacita, seu palliata, et virtualis est, quæ non committitur vi contractus mutui formalis, et expressi, sed alterius contractus nomine, ac specie veluti pallio contexti, et occultati, ut dum præcise ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de justo pretio detrahatur, aut supra justum pretium exigatur, arg. c. *In civitate tua* 6, *De usuris*.

(5. Tertio dividitur usura in lucratoriam, compensatoriam et punitivam. Usura lucratoria (de qua tanquam propria usura ex professione agunt theologo, et erit hic sermo) est, quæ continet aliquod lucrum temporale, causa et

nomine solius mutui principaliter exactum, Usura compensatoria, seu restauratoria est, qua ex pacto exigitur aliquid supra sortem ratione justis interesse, seu damni emergentis, vel lucris cessantis, quod patitur mutuant, aut ratione periculi, et incommodi, quod probabiliter passurus est in mutuo recuperando. Et hæc usura, ut infra videbitur, est licita. Usura punitiva, seu moratoria, est, qua ex pacto imponitur pœna, v. g. pecuniaria ultra sortem præstanda, si mutuarius in reddendo mutuum tempore convento fuerit culpabiliter morosus; et hæc etiam, ut infra videbitur, est licita.

(6. Usura proprie dicta, seu lucratoria, est prohibita, non solum jure positivo, divino, et ecclesiastico, sed etiam jure naturali: est communis inter Catholicos. Et quidem de jure divino constat ex pluribus locis sacrae Scripturæ, et signanter ex *Levit. xxiii*, ibi: *Non accipies a fratre tuo usuram, nec amplius quam dedisti... Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. Deuteron. xxiii*, ibi: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam: Psal. xiv*, ubi introducendus in tabernaculum Domini dicitur, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, sicque e contrario excludendus, qui dederit ad usuram; *Psal. liv*, ubi inter iniquitates, quæ enumerantur, dicitur: *Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus; Ezechiel. xviii*, ubi vita æterna præmiandus dicitur, *qui ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit*; et e contra dicitur esse morte æterna puniendum *ad usuram dantem, et amplius accipientem*. Et *Lucæ vi*, ipsemet Christus Dominus ait: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; scilicet ultra sortem, quæ verba Papa Urbanus III, in cap. *Consuluit* 10, *De usuris*, affert ad probandum, usuram jure divino esse prohibitam. Unde in cap. *Super eo* 4, *De usuris*, expresse dicitur, quod usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur; et concordat c. *Quia in omnibus* 3, eod., ibi: «Et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant.»

(7. Et quod usura prohibita sit etiam jure canonico, habetur expresse ex cap. *Quoniam* 2, dist. 47, cap. *Si fœneraveris* 1, cap. *Putant*, 2, cap. *Plerique* 3, et cap. *Usura* 4, caus. 14, qu. 3, c. *Ministri* 2, cap. *Si quis* 4, cap. *Nullus* 6, cap. *De hoc* 7, et cap. *Si quis usuram* 10, caus. 14, qu. 4, et ex toto titulo *De usuris*, tam quinti, quam sexti *Decretalium*, et ex *Clementin. unic. De usuris*, § *Sane*, ibi: «Sane si quis in illum errorem incidit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.»

(8. Quod autem usura prohibita sit etiam jure naturali, ostenditur ratione. Contra legem naturalem, seu jus naturæ est, fractas

percipere ex re non sua, sed aliena, cum fructus rei ex natura sua pertineant ad dominum ejusdem rei: atqui, si ex mutuo usura perciperetur, perciperentur fructus ex re aliena; ergo usura est contra jus naturale, seu de jure naturali prohibita. Major est nota ipso naturæ lumine; minor probatur: Per mutuum dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium; mutuum enim ideo appellatur, quia de meo fit tuum, textu expresso in l. *Mutuum* 2, § 2 ff. *De rebus creditis, si certum petatur*, ibi: «Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit.» Et *Instit.* quibus modis re contrahitur obligatio in princip., ibi: «Inde etiam dictum est mutuum, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat;» ergo si percipiatur fructus, seu lucrum a mutuant ex re mutuatæ, percipiuntur ex re aliena, adeoque etc.

(9. Nec contra id, quod hactenus dictum est, usuram scilicet esse illicitam, et prohibitam jure divino ac naturali, objici valet illud *Deuteronomii xxiii*: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, etc., sed alieno*. Nec illud *Lucæ xix*: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens, cum usuris utique exegissem illam?* Non valet, inquam, quia ad illud *Deuteronomii* respondetur cum variis sanctis Patribus, et doctoribus, ibi solum permissas fuisse, id est non specialiter punitas fuisse usuras erga alienos, tanquam malum ad majus malum vitandum, ne scilicet Judæi a se invicem usuras acciperent propter avaritiam, cui nimis dediti erant. Sic inter alios respondet S. Thomas 2-2, quæst. 87, art. 1, ad 2, ibi: «Quod autem ab extraneis usuras acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant,» ut habetur *Isaiæ lvi*. Et idem etiam habetur 2-2, quæst. 103, artic. 3, ad 3, ibi: «Accipere usuras ab alienis non erat secundum intentionem legis, sed ex quadam permissione propter pronitatem Judæorum ad avaritiam, et ut magis pacifice se haberent ad extraneos, a quibus lucrabantur.» Et idem jam scripserat meus Alexander Alesius part. III, qu. 86, memb. 4, art. 2, ibi: «Nunquam fuit Judæis licitum fœnerare alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno, sed mittebatur eis duplici de causa, scilicet, ne facerent pejus, id est ne fœnerarentur fratribus, et quia duri erant, et paulatim trahendi ad perfectionem.» Et sic varii alii dicentes, id permissum fuisse, seu toleratum fuisse, sicuti apud Christianos in quibusdam locis permittuntur meretrices, quia non puniuntur, qui cum eis scortantur; et sicuti in eodem cap. *xxiii Deuteronomii* dicitur: *Non erit meretrix de filiabus Israel*, non quod meretrices alienigenæ approbentur, sed quod non puniantur lege ista, sicuti meretrices Israelitæ.

10. Aut cum variis aliis respondetur, id

FERRAR. VII.

Deum tunc permisisse Judæis, non vi mutui, sed vi donationis, transferendo scilicet tanquam supremus omnium Dominus rerum dominium ab extraneis in Judæos; sic *Exodi xii*, donavit ipsis Ægyptiorum spolia, quæ commutato acceperant. Sicuti enim potest princeps temporalis in pœnam delictorum alicujus per justitiam vindicativam ipsum bonis suis, vel in toto, vel in parte privare, eorumque jus, et dominium in alium benemerentem conferre, ita Deus tanquam supremus Dominus universorum poterit a fortiori hoc præstare adversus sui nominis hostes, jusque illud, et dominium suis fidelibus sectatoribus in præmium, et retributionem conferre. Et quod de facto tunc Deus id fecerit, colligitur elare ex *Deuteron. xxviii*, ubi Moyses contra populum Israel non servantem legem ait: *Advena fœnerabit tibi, et tu non fœnerabis ei*; quod intelligendum est in pœnam non servatæ legis. Sicque eum in dicto cap. *xxiii Deuteronomii* dixit: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, etc., sed alieno*, debet pari ratione intelligi in pœnam ejusdem alieni, eo quod legem non servaret, adeoque illud lucrum non approbavit Deus, ut fœnus est, sed induxit ut pœnam delicti, cum non approbaverit cum fratribus legem servantibus, sed solum cum exteris legem transgredientibus. Sic S. Ambrosius, l. *De Tobia*, cap. xv, num. 5, relatus in cap. *Ab illo* 12, caus. 14, qu. 4; Pirhing, *loco cit.*, n. 9; Sporer, *loco cit.*, num. 111; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 24; Pontas, tom. III, verb. *Usura*, caus. 7; Tiranus, *Commentar. in cap. xxiii Deuteronomii*, vers. 19; Molina, tomo II, disp. 494, num. 18, plures alios afferens pro utraque responsione.

(11. Ad illud autem *Lucæ xix* respondetur, quod ibi per usuram intelligitur lucrum licitum ex negotiatione: dare enim ad mensam, non est dare mutuum, ex quo solo vetita usura oritur; sed est dare mercatoribus ad negotiandum, utpote ad contractum societatis *a banco*, in quo dominium pecuniæ manet penes sic negotiantem, et tamen lucrum ex ea perceptum, quam periculum ad eundem spectat, quod non currit in mutuo. Unde ibi usura accipitur metaphoricè, ut nempe bonis a Deo acceptisaugeamus, et multiplicemus merita, et bona spiritualia ad nostram æternam utilitatem; voluit enim ibi Christus suis fidelibus sectatoribus ostendere, quod sicut homines terrestres cum tanta sollicitudine utuntur bonis temporalibus ad lucrum transitorium, ita et illi cum majori sollicitudine debeant uti temporalibus ad lucrum æternum. Sic S. Thomas, *loco cit.*, art. 1; Pirhing, *loco cit.*; Molina, *loco citat.*, et alii passim.

(12. Usura usurarum lucratoria est prohibita etiam de jure civili: *Communis*, per clarissimos textus in l. *Placuit* 29, ff. *De usuris*, l. *Improbum fœnus* 20, cod. *Ex quibus causis infamia irrogatur*, ibi: «Improbum fœnus exercentibus, et usuras usurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda est;» l. *Nullo modo* 28, cod. *De*

usuris, ibi: « Ut nullo modo usurae usurarum a debitoribus exigantur, et veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, et totius summae usuras stipulari, quae differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usurae exigebantur? Hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac aperitissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras praeteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, et earum usuras stipulari: sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquae tantummodo incrementum usurarum accedere; » l. *Sancimus* 3, cod. *De usuris rei iudicatae*, ibi: « Cum enim iam constituimus usurarum usuras penitus esse delendas, nullum casum relinquimus, ex quo huiusmodi machinatio possit induci. »

(13. Usura autem usurarum est, quae ex usura, seu lucro usurario non soluto, seu nova sorte exigitur, ut dum quis v. g. mille scuta pro quinquaginta annuatim solvendis in mutuum dat, et de istis quinquaginta scutis debito tempore non solutis, eum summa capitali praeter priorem novas usuras, v. gr. duo scuta cum dimidio annuatim exigit.

(14. Usura vero secundum se non est iure Caesareo, seu civili communi prohibita, nisi sit in maxima quantitate, ut habetur clare in l. *Placuit* 29, et l. *Quod in stipulatione* 31, ff. *De usuris*, l. *Lecta* 40, ff. *De rebus creditis*, ubi non solum permittuntur ut minora mala, sed approbantur usurae ut licitae; l. *Si interrogatione* 1, cod. *De usuris*, ubi sic expresse habetur: « Si interrogatione praecedente promissio usurarum recte facta probetur, licet instrumento conscripta non sit, tamen optimo iure debentur; » l. *Quamvis* 8, cod. eod., ubi denegatur actio ad repetitionem usurarum iam solutarum; l. *Eos qui* 26, cod. eod., ubi excepta praescriptione triginta, vel quadraginta annorum, conceditur actio ad exigendas usuras promissas.

(15. Dictum fuit tamen nolanter: *Nisi sit in maxima quantitate*, quia in hac quantitate usura est prohibita etiam iure civili communi per cit. l. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, et l. *Placuit* 29, ff. eod. Quenam autem sit determinata quantitas, quae a iure civili approbetur, quaeve reprobetur, declaratur in eadem l. *Eos qui* 26, § *Super usurarum*, cod. *De usuris*, diversimode juxta diversitatem personarum abrogata veteri et gravissima dispositio. Conceditur igitur iustrius personis posse in contractu mutui stipulari ad *trientem*, id est ad tertiam partem centesimae usurarum: nomine autem tertiae partis centesimae usurarum venit lucrum ut quatuor pro centenariis singulis annis. Pro cuius rei notitia est advertendum, quod in iure illa dicitur centesima, in qua pro singulis centenariis unum singulo mense persolvebatur, et sic pro sorte

centesima singulo anno usura duodecim correspondebat. Dicitur autem centesima, eo quia singulo mense persolvenda erat pars correspondens centesimae parti sortis; hinc tertia pars centesimae usurarum erat numerus ut quatuor, cum hic numerus sit tertia pars numeri duodecimi; in trajectiliis contractibus, scilicet pro re, seu pecunia trajectilia, quae mutuo datur mercatoribus trajectiliis, seu acturis trans mare cum periculo creditorum, seu mutuantium, si naves pereant, conceditur centesima usurarum mercatoribus, sive negotiatoribus conceditur posse recipere lucrum ex mutuo usque ad bessem centesimae usurarum, id est ad duas partes centesimae, nempe octo. Caeteris autem omnibus conceditur posse in contractu mutui stipulari ad *semissem*, id est ad dimidium centesimae, quod est sex pro quolibet centenariis singulis annis. Sic habetur ex cit. lib. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, ubi velatur extensio ad ulteriorem quantitatem.

(16. Supradieta autem omnia ad faciliorem memoriae retentionem quatuor sequentibus carminibus traduntur a Glossa in cit. l. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, ibi:

Discant illustres stipulari posse trientes.
Et mercatores sibi possint quaerere bessem.
Quaerere semisses possint communiter omnes
In trajectiliis vires centesima sumit.

(17. At vero omnes supra num. 14, allegatae leges civiles permittentes, et approbantes usuras contra jus divinum, et naturale, correctae et abrogatae sunt per jus canonicum, ut clare patet ex toto titulo *De usuris*, tam quinti quam sexti *Decretalium*, et expresse, ac specialiter Clementin. *Unic.* *De usuris*, ubi sub poena excommunicationis reprobandur quaecunque statuta in offensam Dei, et proximi, et contra jura divina pariter, et humana usurarum approbantia quodammodo pravitate. Quinimo subditur *ibid.*, § *Sane*, quod pertinaciter asserens exercere usuras non esse peccatum, sit puniendus ut haereticus, ibi: « Sane si quis in illum errorem incidit, et pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut haereticum puniendum. »

(18. Hinc nullus princeps, quamvis supremus, sive saecularis, sive ecclesiasticus, et neque Papa condere potest legem, qua usurae reddantur licitae. *Communis*, ac certa. Et ratio est clara, quia usurae sunt a iure divino ac naturali prohibita, ut probatum est supra n. 6 et 8, adeoque non possunt ulla lege humana, neque Pontificia permitti, ut licitae; cum inferior non possit dispensare in lege superioris, argum. capit. *Inferior* 4, distinct. 21, capit. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., Clementin. *Ne Romani* 2, De elect. Unde ipsemet Pontifex cap. *Super eo* 4, De usuris, expresse dicit, super usuris nullam posse dari dispensationem, ibi: « Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus. » Et quod id nequeant principes saeculares,

quamvis supremi, stat manifestum, quia ipsi ultraquam quod nequeant quidquam statuere contra legem divinam, etiam legi Pontificiae nihil contrarium concedere valent, sed eidem necessario obedire tenentur in his, quae continent peccatum: cap. *Lege imperator* 1, cap. *Non licet imperatori* 2, cap. *Certum est* 3, cap. *Constitutiones* 4, cap. *Suscipitis* 6, dist. 10; cap. *Si quis* 2, cap. *Soluta* 6, De majorit. et obedient., cum similibus, adeoque, etc.

(19. Imo nedum non possunt principes, sive saeculares, sive ecclesiastici permittere tanquam licitas usuras; sed tenentur eas prohibere etiam Judaeis in suis ditionibus degentibus, et contravenientes punire: *Communis* per text. in cap. *Post miserabilem* 12, et c. *Quanto amplius* 18, De usuris. Et ratio est, quia usura, ut supra n. 6 et 8 ostensum est, sunt contra jus naturale, et divinum; principes autem sive saeculares, sive ecclesiastici debent omnibus degentibus in suis ditionibus prohibere id, quod est contra jus naturale, et divinum; adeoque, etc.

(20. Tum quia post legem evangelicam non possunt Judaei foenerare cum alienigenis modo, quo ipsis permittebatur in lege veteri, quia talis concessio, ut supra n. 10, dictum est, erat pro illo tempore in poenam alienigenarum non ambulantium in lege Domini, et in retributionem populi sui sequentis vestigia ejus: ratio autem talis concessionis post legem evangelicam cessat, cum populus Hebraeus a Deo prius dilectus, factus fuerit ei inimicus, et alienigenae gentes factae ipsi familiares, et suus dilectus populus. Tum etiam quia principes tam saeculares quam ecclesiastici possunt, et debent, punire, et de facto juste puniunt Judaeos in suis ditionibus homicidia, furta, aliaque similia crimina perniciose reipublicae perpetrantes, adeoque etiam punire possunt et debent eosdem dictas usuras contra jus naturale et divinum, eidem reipublicae noxias committentes; cum eisdem juribus, et ex eisdem motivis prohibeantur usurae, ac enumerata delicta.

(21. Usura compensatoria, seu restauratoria (de qua supra n. 5), est licita ex triplici praecipue titulo, scilicet titulo damni emergentis, titulo lucri cessantis, et titulo periculi perdendae sortis. *Vide verb. MUTUUM*, a num. 33 ad 37. * Confer theologi Romani ad verb. *MUTUUM*, adnotat. ad. num. 73, et animadversiones nostras ad hunc articulum*.

(22. Usura punitoria, seu moratoria (de qua supra, n. 5) est licita. *Vide dict. verb. MUTUUM*, n. 38.

(23. Mutuans accepto pignore a mutuario, cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, nisi adsit alius justus titulus, committit usuram, et tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. *Vide dict. verb. MUTUUM*, n. 44.

(24. Dantur tamen alicui justis titulis percipiendi fructus ex pignore sine diminutione sortis. *Vide dict. verb. MUTUUM*, a n. 43 ad 48.

(25. Pactum antichriseos quid sit, et an sit illicitum, et usurarium? *Vide verb. HYPOTHECA*, a n. 32 ad 33.

(26. Pactum legis commissoriae quid sit, et an illicitum, et usurarium? *Vide ibid.*, n. 34 et 35.

(27. Usurae neque possunt exigi, et accipi ob favorem causae pie, vel ob aliud opus bonum, neque ad id dari potest aliqua dispensatio: *Communis*, textu expresso in c. *Super eo* 4, De usuris. Cum enim ibi archiepiscopus Panormitanus quaesivisset a Papa Alex. III: An possit per dispensationem pecunia recipi ad usuram, ut per illam pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, possint liberari, sic respondit dictus Summus Pontifex: « Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. »

(28. Unde ne quidem, ut redimantur captivi, ut alantur pauperes, aut ut aedificentur, et restaurentur ecclesiae, permitti potest facultas dandi pecunias ad usuram, nempe ut illa pecunia usuraria a foenerante talia, vel similia opera pia peragantur, ut clare habetur ex cit. cap. *Super eo* 4, De usuris. Et ratio est, quia nulla dispensatio fieri potest in eo, quod utroque Testamento est prohibitum, uti sunt vere prohibita usurae, per expressum textum in cap. *Quia in omnibus* 3, et citat. cap. *Super eo* 4, De usuris. Tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, *Epist. ad Romanos*, c. iii, § 8; Glossa, in cap. *Super eo*, verb. *Dispensationem*, cum pluribus juribus ibi adductis. Nec sunt faciendae eleemosynae de foenore et usuris, cap. *Non putanda* 27, caus. 1, q. 1; cap. *Nolite* 1, caus. 14, q. 5. Nec auferendum est aliquid divitibus, ut detur pauperibus, cap. *Fortis* 3, ead. caus. 14, et q. 5. Tum etiam quia non licet pro vita alterius servanda mentiri, cap. *Ne quis* 14, cap. *Si quis* 17, caus. 2, qu. 2, adeoque multo minus licet usuras exercere ob utilitatem proximi, quia hoc multo gravius est peccatum, quam mendacium, cit. c. *Super eo* 4, De usuris.

(29. Sunt tamen liciti, nec sunt usurarii montes pietatis. *Vide verb. MONTES PIETATIS*, per tot.

(30. Mutuare cum pacto conferendi aliquid supra sortem, non tanquam debitum iustitiae, sed tantum amicitiae, et gratitudinis, est usura. *Vide verb. MUTUUM*, n. 24, ubi datur ad hoc propositio damnata ab Innoc. XI.

(31. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. *Vide d. verb. MUTUUM*, n. 25, ubi ad id afferitur propositio damnata ab Alexandro VII.

(32. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere a mutuario pro sola carentia pecuniae, quam ei actualiter numeratam mutuavit. *Vide d. verb. MUTUUM*, n.

26, ubi adducitur ad id alia propositio damnata ab Innocentio XI.

(33. Mutuare intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo tanquam debitum ex iustitia, etsi id minus principaliter intendatur, est usura mentalis. *Vide dict. verb. MUTUUM*, n. 23.

(34. Non est tamen usura, cum quis dat mutuum, et sine ulla pactione, secundo tantum inde aliquid intendit, et sperat, item daturus mutuum, quamvis sciret se id, quod sperat, non obtenturum. Glossa in c. *Consuluit* 10, verb. *Sperantes*, De usuris; Barbosa, in cit. c. *Consuluit*, num. 6; Navarr., in *Manual.*, cap. 17, numer. 209, et alii passim, arg. c. *Si officia* 2, dist. 59, etc. *Quid proderit* 7, dist. 61. Et ratio est, quia cum mutuarius aliquid possit dare, imo ex *antidotali* obligatione mutuatori obligatus sit, utique poterit hic aliquid etiam saltem secundario sperare, et intendere; licite enim potest sperari, quod licite potest acceptari.

(35. Nec valet obijcere illud Christi Domini *Lucæ vi: Mutuum date, nihil inde sperantes*; nec illud canonis *Consuluit* 10, De usuris, ubi Pontifex respondit, illum, qui mutuatur, alias non mutuaturus eo proposito, ut licet omni conventionem cessante, plus tamen sorte recipiat pro ejusmodi lucri intentione, judicandum esse male agere, et efficaeiter ad restitutionem inducendum. Non valet, inquam, quia illud *Lucæ vi* intelligi debet uti consilium, quatenus excludit spem beneficii ex gratitudine a mutuatorio accipiendi; præceptum autem est, quatenus excludit spem lucri accipiendi, et præstandi tanquam ex debito, cum sic sit vera usura mentalis. Et illud dicti canonis *Consuluit* intelligi debet de eo, qui mutuum dat cum intentione lucri, seu pretii recipiendi ex mutuo, tanquam ex debito iustitiæ, qui utique censi debet versus usurarium mentalis. Non autem de eo, qui mutuum dat cum intentione recipiendi aliquam compensationem ex sola et libera gratitudine. Unde notant communiter doctores, quod non sit usura, si quis mutuum det principi, cum episcopo ea intentione, et spe, ut ab eo officium, vel beneficium sibi, vel suis ex libera gratitudine, obtineat, cum illum pactum, nec tacitum, nec expressum intercedat, sed mera spes voluntariæ et liberæ gratitudinis.

* Nam, ut inquit Antoine in tract. *De contractibus*, cap. 3, in *respons. ad quest. 17*: « Usura est intendere, etsi secundario, lucrum ex mutuo, ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo debitum: quia intentio, etsi secundaria, non tollit malitiam objecti, quo actus specificatur. Et illicitum est velle etiam minus principaliter, ac secundario aliquid illicitum. Lucrum autem ut pretium mutui vel ut aliquid ex mutuo debitum, est quid illicitum, et usura: ergo illud quocunque modo intendere est illicitum. » Quæ vero sit intentio principalis, quæ secundaria, explicat S. Antoninus, part. II, tit. 1, cap. 7, § 1,

(149) Nullo modo probabilis prædicta opinio censenda est, quod item dicimus de opinionibus propositis numeris 41 et 59.

inquiens: « Dicitur... intentio principalis hæc, cum scilicet magis movetur ad mutuandum propter lucrum, quod sperat sibi evenire, quam propter aliud. Sed intentio secundaria dicitur, quando etsi sperat aliquid sibi dari ab eo, qui mutuavit ex sua liberalitate, tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia, ita quod etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret. » Cæterum, ut monet Ballerinius in prælect. 2 *De usura*, in editione Veronensi *Summæ theologicæ* S. Antonini anno 1740 curatæ, eidem parti præmissa cap. 2, § 4, « Si sermo sit de lucro, quod non vi mutui, sed aliunde mutui occasione provenire licite potest, sive ex libera mutuarii gratitudine, iis cautionibus adhibitis, quæ explicabuntur § 2, sive ex justis titulis lucri cessantis, vel damni emergentis, de quibus § 24, qui in hoc lucrum intentionem animumque declinat, etsi ita declinet, ut alias mutuum daturus non sit, nisi forte castitatis præceptum urgeat; is non in lucrum vi mutui perceptum, solum usurarium, injustum, et illicitum, sed in lucrum juste proveniens vel ex gratitudine plane liberali mutuarii donum liberum rependentis, vel ex justa damni restauratione, quæ in mutuo stipulari juste potest, ac proinde in lucrum nec injustum, nec illicitum, nec usurarium intentionem declinat. » *Vide* quæ subdit. Sunt enim dignissima ut legantur*.

(36. An autem sit usura, si mutuans excitet, et moneat, seu roget mutuarium: ut intuitu mutui illi præstet aliquam gratuitam remunerationem, seu aliquid præter sortem ex gratitudine liberaliter, et voluntarie ei præstet, variant doctores. Negant enim Molina, Bonacina, Salonijs, et alii cum Diana, part. I, tract. 8 *De contractibus*, resolut. 62; Lugo, disp. 25 *De instit.*, sect. 4, n. 30; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 96; Sporer, *loc. cit.*, n. 33, testans de communi aliorum, quia dicunt, ejusmodi gratitudinem intendens, et petens, rem licitam, et honestam intendit, et petit, cum reipsa non intercedat verum pactum, nec coactio, sed tantum petatur compensatio antidotalis, ad quam quisvis beneficium aliquod accipiens ex jure naturæ tenetur. At vero licet prædicta opinio sit probabilis (149), probabilior tamen est sententia Scoti in 4, dist. 13, q. 2, § *De secundo articulo*, Richardi, Cajetani, Joannis Medinae, et Angles apud Lugo, *loc. cit.*, affirmantium, et docentium esse usuram, argum. cap. *Sicut* 4, caus. 1, q. 2, ubi ex verbis sancti Gregorii: « Oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit; » ergo a contrario sensu si petitur, non excluditur omnis culpa. Et sic etiam Viva in proposition. 42, ex damnatis ab Innocentio XI, n. 12, et alii plures. Et ratio est, quia illa excitatio, monitio, seu rogatio videtur esse quoddam pactum implicitum; si antecedat mutuum,

et si subsequatur mutuum, mutuarius non videtur sponte dare, sed rubore, vel necessitate compulsus, cum metu injusto induci solet ad remunerandum; timens, ne sibi injusta nota ingratiitudinis inuratur.

(37. Si mutuarius mere gratis, et liberaliter det aliquid ultra sortem, mutuator autem mala fide accipiat tanquam debitum ratione mutui, est quidem usura mentalis inchoata, sed non perfecta, nec restitutioni obnoxia. Sic Scotus, in 4, dist. 14, qu. 2, art. 2; Lessius, lib. II, cap. 20, dub. 6; Molina, *loc. cit.*, disp. 306; Amicus, disp. 20, sect. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 79; Viva, *loc. cit.*, sub. n. 10; Lugo, *loc. cit.*, n. 33, appellans hanc communem, et veram sententiam. Et ratio est, quia ex parte mutuarii donantis fuit voluntas libera, et sufficiens ad transferendum dominium accedente acceptatione, quamvis peccaminosa ex parte mutuatoris accipientis; hæc autem acceptatio, et potest poni formalis, quando cognoscitur talis animus mutuarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur, et posita fuit virtualis, quando mutuator accepit auctarium, quia licet putaverit illud non dari gratis, voluit tamen sibi accipere omni meliori modo, quod poterat. Nec obstat cit. cap. *Consuluit* 10, De usuris, ubi Pontifex dicit, usurarium mentalem cogendum esse ad restitutionem. Nam ibi solum est sermo de casu, quo mutuarius non dedit auctarium gratis, et mere liberaliter, et quando de hac voluntate dantis non constat. * Confer Ballerinium in *Prælect.*, cit. cap. 2, § 11, num. 4, ubi hoc opportune monet: « Solum videndum, num donatio omnino liberalis vere fiat, ad quod dijudicandum observanda, quæ auctor monet, c. 7, § 6 et 7, ex quibus pleraque, quæ vulgo dicuntur, et putantur dona, dona vere liberalia non esse cognoscas. Eo enim fere consilio mutuarius donat « ut mutuum sibi datum longiori tempore retineat, vel ut iterum in futuro consimile mutuum, si egerit, sibi fiat ab illo; seu quia veretur mutantis offensam, scilicet ne reputet eum ingratum, si sibi ultra redditionem mutui nihil impendat: quæ singula liberalem donationem prorsus excludunt, ut S. Bernardinus monet lit. 2, serm. 36, art. 3, c. 4. »

(38. E contra si mutuarius det aliquid ultra sortem tanquam ex debito ratione mutui, et mutuator accipiat bona fide tanquam sibi gratis, et mere liberaliter donatum, est quidem usura materialis, cum datio utpote involuntaria absque animo donandi non

(150) Meminerit lector canonici illius axiomatis: *In dubiis tutior pars est eligenda*; dubium autem est, ubi rationes utrinque probabiles, et circumstantiæ utrinque rationabiles occurrunt. Ac ne ille quidem tutus est, qui cœpit possidere rem aliquam bona fide, et deinde superveniens dubium, an ea res sit aliena, superare non potest. Etenim « probabilis est cum Soto lib. IV *De justit.*, q. 5, 2, 4, quod quando dubium supervenit possessioni bonæ fidei inchoatæ, illam interrumpat, donec perseveret; et nisi possit prudenter deponi, obliget possessorem ad restituendum pro rata. Ratio primæ partis est,

fuert sufficiens ad transferendum dominium; et non est usura formalis completa, nec obnoxia restitutioni, si lucrum sic bona fide acceptum, sit etiam bona fide consumptum, nec inde mutuator factus sit ditior; si autem cesset bona fides mutuatoris, ex quo exposit cognoscat mutuarium, non gratis, et liberaliter, sed tanquam ex debito ratione mutui dedisse illud auctarium, tunc evadit usura formalis restitutioni obnoxia, quia cessante bona fide, et tali veritate comperta, jam deest mutuatori justus titulus retinendi illud auctarium, adeoque illud restituere debet, et si bona fide consumpsit, restituere tenetur id, in quo inde factus est ditior; et si in nullo sit inde factus ditior, rursus nihil restituere tenebitur, juxta dicta de restitutione faciendâ a possessore bonæ fidei sub verb. *POSSESSOR BONÆ, ET MALÆ FIDEI*. Sic doctores supracitati, et alii passim.

(39. Si dubium sit, an mutuarius dederit illud auctarium gratis, et mere liberaliter, vel an tanquam ex debito ratione mutui, debet fieri sufficiens inquisitio de intentione dantis, et si percipiatur dedisse gratis, et mere liberaliter, potest retineri illud auctarium; et e contra restitui debet, si percipiatur, illud dedisse tanquam ex debito ratione mutui. Si autem mutuatorio jam mortuo, seu alias ejus intentio interpellari non possit, resolvendum est ex circumstantiis, nempe quod dederit gratis, et mere liberaliter, si mutuarius erat dives, liberalis, magnificus, et benelicus, si dederit hilariter, et hujusmodi; et aliunde mutuator nec explicite, sed implicite aliquid petierit et tunc ipse mutuator non tenebitur ad restitutionem. Et e contra, quod dederit tanquam ex debito ratione mutui, si mutuarius erat inops, paucus, avarus, si mæste, et moleste dederit, et hujusmodi, et tunc mutuator tenebitur ad restitutionem. Et tandem si omnibus attentis, adhuc restet dubium mere negativum, tenebitur mutuator ad restitutionem; et si dubium fuerit positivum ob rationes utrinque probabiles, ac conjecturas, et circumstantias utrinque rationabiles, ac verisimiles, non tenebitur probabiliter (150) mutuator ad restituendum illud auctarium sic acceptum. Sic Sporer, *loc. cit.*, num. 80; Lugo, *loc. cit.*, n. 32; Viva, *loc. cit.*, sub num. 10, vers. *Ad primum*; La Croix, lib. III, part. II, n. 922, et alii contra alios. Et ratio a pari est de eo, qui cœpit possidere rem aliquam bona fide, et deinde superveniens dubium, an ea res

quia cum tali dubio discreto, fundato et probabili, nequit amplius subsistere bona conscientia, et fides, quod res sit mea. Nam dubium illud est vulnus quoddam conscientiæ, illam prudenter inquietans: igitur hæc non subsistit sana et quieta, et quamvis non sit mala, profecto neque bona, et integra: non ergo sufficit ad continuandam prescriptionem, sed illam interrumpit. Ita Cunitati tract. 9 *De VII Decal. præcepto*, cap. 16, num. 5. Ubi vere locum habeat axioma illud: *Melior est conditio possidentis*, alibi expositum fuit.